

Compte rendu des séances des États du Brabant de 1648 à 1682

par Libert de Pape, abbé du Parc, membre des Etats

(Suite *)

28 Martii, Lovanienses accepta deliberatione super acta acceptationis de 11 Martii, retulerunt se persistere in sua opinione, et velle pro suo civitate et quarterio Lovaniensi subsidium levare super caminos et aratra et tantum ad ratum van de portee etc. selve.

Eadem die post meridiem D. Deputati Statuum contulerunt officium executorii impostarum vini et inquisitionis famulo V. Tax²²⁶), pensionarii Bruxellensis, N. Roelandts²²⁷).

Den rentmeester Parijs in 't quartier van Antwerpen heeft eerst begonst te rekenen opder eerste meert, ende alle sijne rekeningen vande groote beden, cleijn bede, imposten en subsidien des jaers 1665 — sijn volbracht en gesloten geweest den 30 meert.

21 Aprilis, in generali congregatione Statuum resolutum est respondere Gubernatori quod non possent super petito subsidio 22 Martii, eo quod antierius subsidium necdum plene esset conclusum, difficultatem movente civitate Bruxellensi super conditionibus a se apposis quod omnia omnino bona deberent in subsidio contribuere, etc. quas nedum voluerunt pretereire. Et quia Civitates non volebant aliam viam pro subsidiis levandis accordare, quam viam preciarum ordinarium, rogarunt accelerari recomputationem

*) *An. Praem.*, XXIX (1953), 111-128, 251-288; XXX (1954), 60-122; XXXV (1959), 103-152.

²²⁶) François Tax, conseiller-pensionnaire de Bruxelles.

²²⁷) Thomas Roelants, maître de fortification de la ville. HENNE, o. c., II, 60.

sive hertellinge juxta antiquas instructiones, et Civitates volebant novam viam inire, rogabant rem juridice sed summarie tantum instrui, et Commissarios in Consilio Brabantiae dari, etc.

22 Aprilis, dicta opinio coram Cancellario lecta fuit.

23 Aprilis, ego una cum barone de Goijck et graffiaro Bouton, ad hoc deputati, totam rem aperuimus Gubernatori.

4 et 5 Maii, rumor constans venit de imminente bello Gallorum et Gallis magno exercitu in limitibus haerentibus.

6 Maii, Gubernator petiit anticipare super subsidio necdum pleno accordato 550 millium florenorum, summam 41 millia florenorum.

Resolutum, Receptores Antwerpiensem et Bruxellensem evocandos pro anticipatione levando, si possint.

Interim, abbates S. Michaelis, Trunchensis et Diligemensis, qui tantum aderant, consenserunt ut Abbates primi Status anticiparent quotas suas, et in eventum quo ante mensem finitum, subsidium plene non accordaretur, daretur pro rata temporis interesse pecuniarum anticipatarum.

Item, Gubernator petiit a Brabantia dari 3000 fossorum pro fortificando Bruxella et Vilvordia; qui accordati sunt cum libertate data D. baroni de Goijck et graffiaro Bouton agendi cum Gubernatore, et illos fossos modificandi juxta quod maxime videbitur expediri.

9 Maii, dederunt Statui actam duobus receptoribus van Frenijs en van Velde ad levandam summam 120 millium florenorum super subsidio 550 millium florenorum, necdum plene accordato et petito in februario anni 1666.

Item, resolverunt rogare Gubernatorem ut archivae Brabantiae e turri Vilvordiae tutiori loco reponerentur.

11 Maii, Gubernator petiit destinari aliquot millia florenorum, Leeuwis pro fortificatione oppidi.

12 Maii, pro obtinentia paratis pecuniis, reliquerunt impostas farinae et vini Bruxellenses pro aliquot mediis annis.

N. N. qui anticipaverunt aliquot millia florenorum.

f^o 135^{vo}. — Computus quarterii Antwerpiensis absoluti fuerunt ante Pascha, qui extendi debuerunt usque ad 16 Maii.

Post Pascha assumptus est computus G. Bede quarterii Bruxellensis et valde in eo processum est propter adversos rumores et preparamenta belli.

18 Maii, inchoatus est computus thesaurarii subsidii 450 millia florenorum etc. anni 1663.

19 Maii, D. Fiscalis cum secretario Loyens²²⁸⁾ et Graffiaro Status Bouton, transtulerunt archivia Brabantiae e turri Vilvordiensi ad Cameram computuum Bruxellae.

20 Maii, petiit Gubernator provisionem Bruxellis pro duobus mensibus de feno et avena pro manutentione quinque millia equorum.

Item, levare quingentos Keurelingos qui possunt collocari in fortalitiis super Scaldim, interim quo miles extrahetur.

Resolutio dilata est in diem lunam futurum, et quod in illum diem convocarentur viciniore de Statibus simul consultari.

23 Maii, lectae fuerunt opiniones Civitatum super impostis inchoandis 1 Junii 1667, et attulerunt unanimem consensum.

Item duo primi Status resolverunt rogandum Gubernatorem quatenus vellet supersedere et excusare Keurelingos saltem ad tempus, donec operarii circa urbem Bruxellensem absolvissent, etc.

Et quoad pabulum subsidii quinque mille equitum, debere primo urgeri completionem subsidii apud ultimum membrum bruxellense, quod haerebat.

Elapso anno in fine Septembris Gubernator patriae, marchio Castelrodrigo incepit exstruere fortalitium²²⁹⁾ super Sambram, in loco dicto Charnoy, tribus fere horis a Cellis, et voluit vocari Charle Roy²³⁰⁾; et postquam tota hieme aedificassent et operati fuissent, et partem exercitus ibidem intertenuissent, et aliquot centena millia consumpsissent, et Gallus jam meditaretur bellum, postquam pro-

²²⁸⁾ Henri Loyens, de Maastricht, licencié in utroque jure, professeur et recteur de l'Université de Louvain; il mourut le 13 octobre 1686: *An. Hist. eccl. Belgique*, o. c., XVIII, 269; XXVII, 328.

²²⁹⁾ Nous voici à la guerre de Dévolution. Le droit de dévolution était une coutume appliquée dans certaines parties du Brabant et d'après laquelle tous les biens d'une succession étaient dévolus aux enfants des premiers lits. Si la famille du roi d'Espagne y avait été soumise, Marie-Thérèse, femme de Louis XIV et fille du premier lit de Philippe IV, eût donc exclu son frère Charles II. PIRENNE, o. c., V, 19.

²³⁰⁾ Le roi de France était prêt, l'Espagne ne l'était pas; les Français avaient une armée, les autres n'en avaient pas et manquaient d'argent pour y pourvoir. Alors les choses vont vite, nos villes tombent à loisir entre les mains ennemies; il y a même une mise en scène, à l'heure de la prise d'une ville, Louis est là avec la cour pour assister au spectacle.

Castel Rodrigo avait construit ce fort à Carnoy, c'est le berceau de la ville de Charleroi.

ditio quam habuerat super Luxemburgo detecta fuisset et proditor, nomine Pillardt, 2 Maii in foro bruxellensi suspensus fuerat, 22 Maii suffossis munitionibus factis, et 80 fornacibus subexcavatis dictum inchoatum fortalitium quia necdum erat resistendo in aerem saltum fecerunt et demoliti sunt.

f^o 136. — 23 Maii, cum nostri demoliti fuissent munimenta oppidi de Bassee, Franci ex presidio Bethune illud intraverunt, et 24 Maii, occupaverunt oppidum Armentieres, quod nostri inceperant demoliri, demolientes fugarunt et residiam partem praesidii captivaverunt.

16 Junii, exercitus Gallorum instaurato Charleroy, venit usque Renissart, prope Nivellam, et 19 et 20 Junii, pertransiit Angiam, Geertsberge, Lessen et Athum, quod presidio munivit.

21 Junii, tetendit prope Tornacum et incepit obsidere.

Interim in congregationibus Statuum admissae fuerunt 4 aut 5 litterae Gubernatoris de solvendis sumptibus levationis 4 aut 5 cohortibus equitum ex subsidio futuro anni 1668, et singulae constarent bis mille patacones.

Item, quia ex mandato Gubernatoris aliquot centeni currus foeni, et aliquot millia sistaria avenae empta fuerant, et locata Bruxellis solvenda ex anticipatione facienda per quarterium Antwerpense, et Gubernator illam anticipationem nunc postulavit.

25 Junii, resolutum ut per deputatos ex tribus Statibus desuper exhiberetur requesta Gubernatori.

Item, quia Gubernator his diebus creaverat consiliarium supranumerarium Consilii Brabantiae, D. Conde²³¹), mediante summa 12 millia florenorum, etiam resolutum ut ostenderetur Gubernatori hoc fieri contra decreta et privilegia Laeti Introitus, nuper jurata.

Nota. — 30 Junii hic D. Conde significavit Graffiaro Statuum, se non velle Statibus repugnare, nec esse Consiliarius supernumerarius. — Memoria.

Item, Gubernator scripserat his diebus epistolam ad Nobiles representantes secundum Statum, quatenus non procederent ad electionem novi deputati, donec sedatis parumper tumultibus belli,

²³¹) De Condé (Jacques), écuyer, seigneur de Boisselles. Il fut nommé conseiller surnuméraire le 17 juin 1667, moyennant un donatif de quatorze mille florins; il devint le 30 juin suivant conseiller adjoint au conseil de Bourgeois, avec droit de successeur et mourut le 2 février 1679. GAILLARD, o. c., III, 362.

omnes nobiles electioni interesse possent, desuper resolverunt Nobiles, ut conscriberentur Nobiles ad octiduum, desuper deliberaturi.

28 Junii, quia aulici intendebant adhuc creare unum Consilium Brabantiae, per modum adjuncti, idque pro summa 16 millium florenorum, iterum resolutum est ut remonstraretur Gubernatori hoc fieri non posse.

f^o 136^{vo}. — 4 Julii, Gubernator petiit levari 1000 rusticos armatos et alios 2000 teneri paratos in eventum necessarium, nihil desuper fuit determinate resolutum.

Item, Status Nobilium resolvit ratione epistolae, de qua 15 Junii, ut 1 Augusti procederetur ad electionem novi deputati Status Nobilium in locum D. baronis de Goijck, et quod illi qui presentes esse non possent, suffragium suum scripto per epistolam mittere valerent.

5 Julii, in congregatione generali Statuum aperta fuit epistola reginae Hispaniae, scripta Statibus Brabantiae adhortans illos ad fidelitatem et constantiam contra insultus Gallorum.

9 Julii, post meridiem Cancellarius attulit actam ultimam acceptationis super subsidio 550 millium florenorum petito, et per duos primos Status accordato 5 et 6 Martii anno 1666 — et 5 Julii et 18 et 19 Octobris ejusdem anni, et 14 Februarii hujus anni 1667 — quae tam diu dilata fuit, quia aliquae nationes bruxellenses difficultabant se conformare cum aliis super pede preciarum, et volebant specialem pedem in patria rurali observari ut primo taxarentur camini, et (tache d'encre) levaretur super omnia bona absque ulla distinctione sive amortisatione, sive feudorum, et quia per multos menses nationes bruxellenses fuerunt tentatae pro conformatione, et finaliter recusarunt non attenta illarum conditione, Gubernator acceptavit consensum trium Civitatum et ordonnavit, juxta placitum duorum primorum Statuum et Civitatum Antwerpiensis et Lovanien-sis et duorum membrorum principalium Bruxellensis, ut subsidium levaretur via preciarum.

15 Julii, D. Conde qui 25 Junii exhibuerat patentem litteram Consilarii supranumerarii, hodie exhibuit aliam adjunctionis Domino Bourgeois ²³²) ut resolutio differretur in generalem congregationem Statuum, eo quod videretur posse dari superviventia et apostilla in renovatione Laeti Introitus data, videretur concessa et falso presup-

²³²) de Bourgeois (Max-Emmanuel), fils du conseiller Charles de Bourgeois, nommé adjoint de son père le 2 janvier 1629, le remplaça en 1639, et mourut le 17 septembre 1669. *It.* p. 358.

posito, quia tamen dicta appostilla erat impetrata, et communi sensu Statuum non debebat ab ea resilire sine communi consensu.

f° 137. — 26 Julii, et sequentibus, ceptum deliberari super subsidio 800 millium florenorum petito 22 Martii elapso.

29 Julii, adfui una cum D. barone de Goijck et graffiaro Bouton numerum militum, et eodem die fecimus desuper in Statibus relationem.

30 Julii, quidam zelosus exhibuit requestam Marchioni quatenus peteret a Statibus decimum nummum, etc. quem duo primi Status pridie jam inceperant proponere, et marchio desuper petiit advisamentum Statuum, et videbatur collimare; primus Status resolvit subsidium levandum juxta latitudinem coeli per certam quotam annuorum proventuum, idque per 10 aut 20 nummum omnium proventuum, etc. Contra hanc resolutionem secundus Status Nobilium valde altercatus fuit, et nolebat in communia patriae onera contribuere sua feuda, hanc unicam se habere libertatem in Brabantia, illam se nolle amittere aut perdere, tandem

2 Augusti, pluralitate votorum secundus Status consensit cum primo, ut omnia bona juxta latitudinem coeli contribueret vigesimum nummum omnium proventuum etc. — ad conficiendum subsidium 600 millium florenorum petitem 22 Martii preterito.

3 Augusti, D. Conde fecit suum juramentum in Statibus, tamquam Consiliarius Brabantiae adjunctus B. Bourgeois.

Item, limata fuit opinio duorum Statuum super subsidio 600 millium florenorum.

4 Augusti, propositum fuit an Gubernatori proponeretur quod Status Brabantiae possent congratulari Statibus Hollandiae super inita pace inter ipsos et Anglos etc., quod hesternum die suggesserat marchio de Westerloo, et resolutum fuit quod sic, et in illum finem deputati sunt abbas Parchensis, baro de Wemmel et burgimagister Bruxellensis.

Item hodie D. baro de Goijck continuatus est in deputatura Statuum pro aliis 4 annis, pauci Nobiles comparuerunt sed sua suffragia scripta dederunt per epistolas.

5 Augusti, Nobiles iterum altercati fuerunt contra ceptam resolutionem 2 Augusti, et tandem iterum convenerunt in eandem resolutionem.

Item, adfui cum condeputatis D. Gubernatori super congratulatione facienda Hollandis, et petendo auxilio et de quibus heri, et Gubernator computum approbavit.

f° 137^{vo}. — 9 Augusti, petita sunt impostae inchoandae 1° Decembris futura, et duo primi Status illas accordarunt cum conditione quod nullus ab illis sit exemptus, nisi 4 Ordines mendicantes.

Aliquot diebus deinde major pars Nobilium altercata iterum fuit contra resolutionem ceptam 2 Augusti quoad 20m nummum, pretendente sua feuda gravari non debere, tandem,

12 Augusti, consenserunt ut opiniones ceptae aperirentur coram Cancellario, salva acta retinendi ex subsidio 111 millium florenorum, pro solvendo interesse debitorum, etc.

17 Augusti, Comes de Renebourgh proposuit Statibus ex parte Gubernatoris, an militibus jacentibus in suburbiis Bruxellensibus, et nominatim cohortibus guardiae, non vellent dare aliquam subsistentiam et fourrage, quod illas locaret in Civitate, ut evitentur deordinationes quae fiebant foris, et responsum est, Status nihil posse contribuere.

20 Augusti, accepimus actam ex parte Gubernatoris et Finantiarii, et quia 12 hujus, et eodem die, consensus in subsidium 600 millium florenorum, et insuper impostarum inchoandarum 1° Decembris, coram Cancellario apertus est.

21 Augusti, Gubernator per epistolam petiit a Brabantia suppeditari 8000 electorum ad juvandum succursum civitatis Insularis obessam²³³), et sumptus defalcarentur a subsidio, et duo primi Status accordarunt.

23 Augusti, Civitates Lovaniensis et Antwerpiensis attulerunt consensum suum super dictis Keurelingis.

Eadem die, attulit Cancellarius actam acceptationis super subsidio 600 millium florenorum, per omnia conformem consensui duorum primorum Statuum. Et petiit anticipationem 100 millium florenorum.

Item petiit permissionem gravandi domania Regis in provincia Limburgensi ad 100 mille florenos.

24 Augusti, tertius Status etiam consensit in collectionem 8000 electorum, et opiniones collective simul aulae traditae sunt.

Item, duo primi Status consenserunt gravari domania in ducatu Limburgensi ad 100 mille florenos.

²³³) Les habitants de Termonde seuls opposèrent une résistance victorieuse, ils percèrent les digues en trois endroits, forcés par l'inondation les Français levèrent le siège et allèrent à Lille. Turenne, après son échec à Termonde, porte le siège. Cette place passait pour imprenable. Le marquis de Criqueux reçut l'ordre de rester devant Lille; la tranchée fut ouverte le 18.

f° 138. — 25 Augusti, quia Gubernator contra conditiones subsidii de novo gravaverat aliquot maierias cum tribus cohortibus suae guardia, Status fecerunt ei in scripto longam deductionem gravaminum injustorum et rapinarum, et dixerunt donec emendarentur, quod non possent mittere opiniones duorum primorum Statuum cum aqta acceptationis ad tertium Statum, et quod verisimiliter ex 8000 Keurlinge accordatis ex occasione nulli aut valde pauci venirent, etc.

31 Augusti, duo primi Status in his afflictionibus et incursu hostium Francorum, judicarunt convenire mittere in Hispaniam pro testificanda Brabantiae fidelitate et impetrando auxilio, sed desuper expiscari debere sensum Gubernatoris, ut in eventum quo vix non judicaret expediri, nullus mitteretur, et mihi dederunt commissionem hoc ipsum a Gubernatore expiscandi.

1 Septembris, desuper Gubernatori locutus fui, et judicavit necdum expedire mittere in Hispaniam, postmodum visurum quidnam expediat.

2 Septembris, resolutum non posse anticipari 100 mille florenos, petitos 23 Augusti.

12 Septembris, Gubernator petiit dari 300 electitios ex quarterio Antwerpiensi ad instantiam Gubernatoris castri Antwerpiensis, collocandos in fortalitiis super Schaldim. Status resolverunt expectandam secundam instantiam, eo quod isti electitii non putarentur adeo necessarii.

17 Septembris, adfui Gubernatori cum deputatis et exposuimus insolentias quae commitebantur Bruxellae, periculum tumultus esse in plebe, remedium adhibendum etc.

26 Septembris, iterum cum deputatis adfui D. Gubernatori, nos informaturi de futuris hibernis, etc. et respondebat nobis, quod convocasset omnes officarios patriae ruralis pro compositione et solutione facienda pro officiariis patriae ruralis, pro compositione et solutione facienda pro exemptione ab hibernis, etc., respondimus hoc esse contra privilegia patriae, etc. et diversi discursus desuper fuerunt habiti —et alia plura proposita.

27 Septembris, resolverunt mittere tertio Statui opiniones duorum primorum Statuum super subsidio 600 millia flonerorum, quod 25 Augusti retinuerant, idque ideo ne Prelati et Nobiles imputaretur quod aula debuisset tractare cum officialibus ruralis patriae, etc.

28 Septembris, ad instantiam Gubernatoris Status concesserunt

ut foenum et avena quae 21 Junii fuerant Bruxellis congregata, distribuere

f^o 138^{vo}. — equitatu jacenti in Diegem et locis vicinis circa Bruxellas, quia amplius in patria rurali non erat pabulum.

Item, resolutum indicatur Gubernatori se resolvisse mittere in Hispaniam pro impetrando auxilio contra Francos, etc.

Item, quia D. Tello, magister quarteriarum, de mandato Gubernatoris scripserat officialibus quarterii Antwerpiensis ut venirent Bruxellas pro componendo lytro exemptionis ab hospitacione hibernali, etc. — resolutum fuit desuper facere remonstrantiam Gubernatori, id repugnare privilegiis patriae et nullatenus absque exterminio Statuum tolerari posse.

1 Octobris, dicta remonstrantia in cubiculo Statuum lecta et examinata fuit, et resolutum ut illa prelegeretur marchioni, et deputati fuerant abbas Vladderbacensis, baro de Wemmel et burgimaster Bruxellensis cum graffiaro. — Cumque putarent habere audientiam, marchio curavit se excusari, dicens se per chyragram esse indispositum, et si quid haberant dicendum, dicerent ejus secretario, vel darent scripto.

Facta horum relatione post meridiem in Statibus, resolverunt dictam remonstrantiam Marchioni prelegendum esse, et liter non tradendam, ut quia forte adhuc diu differre posset audientiam, interim breviter illi scribendum quatenus in compositione cum patria rurali super exemptione hibernationis non vellet procedere, nisi prius audivisset Status, et quod in hunc finem singulis diebus ante postmeridiem deputati eorum in anticamera se sisterent, donec ei visum esset audientiam dare.

4 Octobris, cum per biduum nostri deputati in aula fuissent, et Gubernator eis curasset dici ut loquerentur Secretario Farraza, aut darent scripto, facta relatione, resolutum ut iterato breviter scriberetur Marchioni, ut interim quo non possent illi loqui, vellet superse- dere a facienda redemptione quarterii hiemalis cum officialibus patriae ruralis.

Et quia diversi officiales petebant quid cum Magistro generali quarterii

f^o 139. — agere possent; resolutum, illis indicaretur quod non essent qualificati ad tractandum super exemptione quarterii hiemalis, et quod Status Brabantiae illud conditionassent in consensu subsidii, quod si autem hiberna evadere possent, cum aliqua anticipatione super subsidio, referrent se ad Status et ad hoc laborarent.

5 Octobris, quia Status non poterant loqui Gubernatori, et remissi erant ad D. Dennetières ; illum adierunt, et quia hic recusabat acceptare querimoniam, absque mandato Gubernatoris in scriptis, iterum

6 Octobris, Status scripserunt hoc ipsum Gubernatori, et simul indicarunt opiniones duorum primorum Statuum super subsidio esse communicatas Civitatibus, et se jam per 6 septimanas expectare actam acceptationis super impostis.

Item, officiales rurales patriae comparuerunt coram D. Tello, magistro quarteriarum, a quo de mandato Gubernatoris fuerunt convocati, et responderunt, se intellexisse Status accordasse subsidium et se non esse qualificados ad onerandam patriam, sed ne hibernis militum gravarentur, libenter se quotam in subsidio anticipationis Statibus, etc.

9 Octobris, D. Dennetières, accepto mandato Gubernatoris auscultandi Status indicavit hoc ipsum Statibus, et

10 Octobris ante meridiem deputati Statuum illum adierunt et remonstrantiam ipsi exhibuerunt non posse ab officialibus ruralis patriae exigi redemptionem hibernationis militum, etc. et D. Dennetières annuit Statibus, et dixit ut conciperent apostillam remonstrantiae inscribendam et Marchioni proponendam.

Item, dixerunt illi Status resolvisse mittere in Hispaniam pro exponendo statu patriae et petendo auxilio, modo hoc placeret Gubernatori, et respondit se son ausurum hoc proponere Gubernatori, hoc esse, etc.

Interim dicta remonstrantia per D. Dennetières cum adviso missa Gubernatori, haesit ibidem, et equitatus noster cum in pagis inter Bruxellam et Mechliniam amplius non invenirent pabula, ad subsistendum, et octiduo a Statibus illa recepissent 9 aut 10 Octobris, equitatus circa Bruxellam discessit Werchtras, Wespelaer et ad pagos vicinos.

f^o 139^o. — et cum deputatis Statuum in dies instarent pro obtinenda audientia apud Gubernatorem, pro sublevanda rurali patria, et disponendis quarteriis et provisionibus pro hibernatione militum, illam usque ad 21 Octobris impetrare non potuerunt.

20 Octobris, mortuus est D. Ghindertaelen, graffiarius Statuum. Requiescat in pace.

21 Octobris, deputati Statuum habuerunt salarium valide responsum a Gubernatore, subsidias haerere et ideo se debere cum officialibus ruralibus tractare, qui ultro offerebant pecunias, se occupatum

esse pro disponendis hibernalibus et reformatione, interim in patria rurali ordinem poni non posse, sed patientiam habere, etc. Quoad mittendos in Hispaniam, necdum tempus esse, se prima data opportunitate unum e corpore Statuum missurum, cui Status poterunt committere si quid habeant dicenda, etc.

24 Octobris, congregatio generalis Statuum, quia Gubernator procedebat cum officialibus ruralis patriae super exemptione hibernationis, resolverunt fieri remonstrantiam Gubernatori cum enarratione hactenus ea in re in Statibus actorum, etc.

25 Octobris, dicta remonstrantia lecta fuit, et deputati ad presentandum abbas S. Gertrudis ²³⁴), baro de Melsbroeck, et burgimaster Antwerpiensis; in aula Gubernatoris sub pretextu infirmitatis negant audientiam dixitque quod Statibus indicaret quando ei loqui posset.

Eadem die, decreta est lectio et instructio observata a graffiaro Bouton.

26 Octobris, facta relatione negatae audientiae, resolverunt per epistolam iterato illam petere, et interim concepì epistolam mittendam in Hispaniam.

29 Octobris, prefixa et intimata est lectio D. graffiarì Bouton quam observare debebit, quia hucusque audientiam apud Gubernatorem accipere non potuerant, et abbas Gertrudanus Lovanium reversus erat, deputarunt me ad loquendum Gubernatori, etc.

2 Novembris, completa est instructio seu remonstrantia danda illi qui ex parte Statuum iturus erit in Hispaniam — et quia non poterat apud Gubernatorem obtineri audientiam, resolutum ut per clausam epistolam ei communicaretur.

10 Novembris, deputati Statuum, inter quos et ego, post longam prosecutionem tandem habuerunt audientiam apud Gubernatorem, sed exiguam resolutionem. In fine ego proposui controversiam abbatiæ de... (?) a duce de Bournonville mihi recommendatam.

f° 140.— 14 Novembris, per Cancellarium est allata acta acceptationis super impostis inchoandis 1° Decembris, quod duo primi Status acorderant 9 Augusti, sub conditione niemand vrij; porro aula illam conditionem rejecit et voluit ut in illis solum solverent qui erant consueti solvere.

15 Novembris, Status resolverunt desuper informare Gubernatorem, et mittere actam praefatam ad Civitates cum declaratione

²³⁴) Maximilien de Leefdael, abbé de 1664 à 1668.

quod duo primi Status non resilirent a sic opposita conditione van niemand vrij.

16 Novembris, Gubernator dedit Statibus actam autorisationis concludendi cum officialibus ruralis patriae pro anticipatione 300 circiter millium florenorum.

17 Novembris, resolutum quod si aliqua quarteria Antwerpiae plus darent quam illorum quota in 600 millibus important, hoc ipsis veniret bonum in subsidio deinde sequenti.

3 et 5 Decembris, Status generales resolverunt inter cohortes militares quae solvuntur in Brabantia ex impostis comprehendere novam ohortem baronis de Goijck.

Item petebat baro de Ittre pro suo cohorte, sed resolutio fuit dilata.

6 Decembris, resolutum ut cohors Drossardi Brabantiae restauraretur, et cohors Prevost general, quia non concurrebat Brabantia non solveretur ex impostis, sed tantum ex subsidiis quando essent nummi ad solvendum.

8 Decembris, interfui in facienda concordia inter Mechlinienses et quarterum Archelense (?) super lite dudum inter partes mota super transitu militum et prestitis in illum finem navigiis, et Archelenses accordarunt solvere Mechliniensibus 12000 florenos, etc.

14 Decembris, deputati aggragaverunt licentiam (?) capitani equitum de Reijngrave super subsidio emisso in Julio preterito, et simul resolutum ne amplius quidquam dicto subsidio accordaretur antequam thesaurarius fecisset statum illius.

Item, resolutum scribere ad reginam Hispaniae epistolam desuper conceptam, quae et die sequenti missa est.

f^o 141. — Anno 1668.

19 Januarii, super requesta quam Status prosentaverunt Gubernatori, quod Antwerpienses nollent consentire in impostis, vel quod alias preconceptum suum modum intertenendi milites, deberet mandare executioni, desuper absentes convocati et ego.

28 Januarii, primum in Statibus comparui, et resolutum ut ostenderetur Gubernatori inconvenientia, quae oriturae essent, in eventu quo opinio duorum primorum Statuum, quam Lovanienses et Bruxelenses jam secutae erant, scilicet : ut nullus esset liber ab impostis, non manuteneretur executioni.

23 Februarii, iterum aula institit et in consensu impostarum duo Status resilire vellent ab adjecta conditione, niemand vrij, de qua 14 Novembris preteriti ; opinio tulit ut resiliremus, sed in debita

forma per Cancellarium desuper duobus primis Statibus faciendam esse novam instantiam, et absentes per litteras Cancellarii convocandos esse.

Deinde quia undequaque Brabantiae militibus querebatur, et omnes assignabantur super Status pro habendo tam pabulo quam placquilla, et anticipatio 300 milium florenorum, de qua supra 16 Novembris, jam pro placquillis mensium Decembris et Januarii, ut pabulo equorum pro eisdem mensibus et Februarii evacuata erat, resolutum est desuper informare marchionem et indicere nos amplius non posse, proinde dispositionem patriae nos illi relinquere debere, etc.

25 Februarii, hoc ipsum iterum resolutum fuit.

29 Februarii, ego cum barone de Goijck et burgimagistro Lovaniensi adfuimus marchioni et exposuimus statum prescriptum, qui remisit nos ad D. Thesaurarium Dennetières.

2 Martii, juxta resolutionem ceptam 23 Februarii, Status convocati fuerunt, sed quia Cancellarius non comparebet, sed graffiarius suam propositionem faciendam

f^o 141^{vo}. — transmiserat, resolutum fuit, Cancellarius admonendum ut solito more personaliter compareret, aliter nihil concludendum.

5 Martii, debite instructus comparuit, et nomine Gubernatoris petiit, quatenus duo primi Status mutare vellent appositam conditionem, van niemand vrij in impostis, attento quod illi qui ab impostis sunt liberi, magnas contributiones voluntarias fecissent elapso anno et adhuc modo facturi essent.

22 Martii, lecta fuit epistola Reginae scripta 10 Februarii, qua significabat Statibus Joannem Austriacum declaratum esse Gubernatorem Belgii, et spondebat se omnibus modis adlaboraturam pro conservatione patriae contra Galliam invasorem.

Status acceperunt responsum a Regina Hispaniae super epistola sua quam ei 14 Decembris miserant, se quae illa habent indicanda, indicare Joanni Austriaco, jam brevi in Belgio adfuturo.

21 Aprilis, Gubernator per Cancellarium petiit pro preparatione necessaria facienda ad campum : accelerari consensum supra subsidio et impostis et insuper pro donativo vellent accordare 300 millia florenorum.

Item, lecta fuit requesta monialium de Cortenberge, quae conquerebantur contra omnem observantiam, et extra ipsarum electionem, a Marchione denominatam esse abbatissam sui conventus,

Dominam Bringel, quam nullatenus ob sui inidoneitatem poterant admittere, et petebant intercessionem pro mutatione, et ut possent audiri in iudicio.

Resolutum ut D. Bouton graffiarius una cum abbatibus Vlierbeke et Parchensi adirent Archiepiscopum ut supersedere vellet ab installatione, quod et ipsa hora fecerunt, et archiepiscopus addixit, se supersessurum et missurum aliquos ad conventum pro informatione.

Item, ut in Consilio Brabantiae presentaretur requesta nomine monialium pro habendo interdicto, et in eventum quod illis non accordaretur, presentaretur alia pro ipsis nomine Statuum.

f^o 142. — 23 Aprilis, resolutum nihil posse resolvi super petito donativo 300 millium florenorum, nisi prius emendarentur variae infractiones privilegiorum et concordatorum, qua in speciali remonstratione expressae fuerunt, et quia Gubernator 24 Aprilis tetenderat Antwerpiam, submissi sunt eo, 25 Aprilis, abbas Vlibberbacensis, baro de Dongelbergh, et graffiarius Bouton, 27 Aprilis, dicti deputati reversi sunt, et

28 Aprilis, in Statibus retulerunt exiguam satisfactionem quam a Gubernatore acceperant, et illum respondisse quia necessario non habebat pro subsistentia militum, et quia Status necessaria subministrare non poterant, quod cogentur patriam ruralem gravare, et hinc quia plures pagi circa Demeram et in Hagelandia milite gravati erant, et adhuc plures videbantur gravandi, resolutum, ut amplius ex parte Statuum militibus nihil solveretur et omnes solutiones sisterent, etc.

5 Maii. D. Gosuinus Wienands prestitit iuramentum uti Consiliarius Consilii Brabantiae, observandi Laetum Introitum, etc.

A triduo petierat illud prestare coram deputatis Statuum, sed recusaverunt illud acceptare, uti adhuc non bene qualificati, sustinentes id debere fieri in congregatione generali Statuum.

Eodem die venit responsum ex parte Gubernatoris super remonstrantia de qua 23 Aprilis, et inter alia continebat diversas infractiones privilegiorum contigisse ex necessitate, et Regem, juxta 38 articulum Laeti Introitus ad illum non amplius teneri, quam prout observabilis est, in his autem necessitatibus belli, undequaue observari non potuisse, etc.

Item Gubernator per epistolam petiit ut Status subministrare vellent placquillas pro 8 millibus equitum, ad ratam 3 stuferorum et pro eisdem equitibus insuper providerunt de pabulis equorum,

ad ratam 8 stuferorum per diem ; qui milites indicarentur collocandi in suburbiis bruxellensibus pro custodia civitatis, eo quod Galli inter Ninoviam et Angiam congregaretur etc.

f^o 142^{vo}. — Omnium suffragiis resolutum fuit Statibus esse impossibile ista subministrare, se aere alieno nimium gravatos esse, subsidia necdum esse complete accordata, et ex nunc per anticipationes continuas esse evacuata, nummos levare amplius non posse, etc. eapropter scripto desuper Gubernatori respondendum esse, et impossibilitatem remonstrandam, et se dolere post tanta servitia se ad illas extremitates deduci, quod ruralem patriam debeant videre oppressam et relictam discretioni famelici et insolentis militis.

Item, moniales de Cortenberge significarunt pretense nominatam abbatissam Magdalenam Bringel, ex commissione archiepiscopi tumultuani installatam esse, nulla ex conventualibus presente, et ne illa dissiparet forte bona monasterii, in Consilio Brabantiae obtinuerunt arrestam super omnes villicos et debitores monasterii ne cuiuspiam solvantur sub poena iterato solvendi, etc. et petebant assistentiam Statuum, quae illis addicta fuit, et post meridiem aliquae moniales in particulari se convenerunt, etc.

Item, post meridiem in campo de Scarenbergh milites lustrati fuerunt, qui erant circa Bruxellam, et reperti sunt in toto tam equites, quam milites circiter 7 aut 8 millia.

9 Maii, concepto responso super epistolam Gubernatoris de qua 5 Maii, quod privilegia non obligarent principem, nisi iudicatum fuit convenire ut priusquam nostrum responsum mitteretur previe D. Thesaurario Finantiarum conveniatur eidemque indicaretur quod Status illam interpretationem Laeti Introitus admittere non possent ; et praestare ut illa epistola Gubernatori retraheretur, et alii daretur, ne difficilis alea (?) disputationis privilegiorum iniretur, quae secum multas inconvenientias adducere posset, etc.

11 Maii, Graffiarius Statuum retulit, nostrum consilium D. Thesaurario placuisse, epistolam Gubernatoris ad se recepisse, et desuper se in Consilio Status et finantiarum relationem facturum, etc.

Item, quia 9 Maii, resolutionem ceptam 5 Maii, quod impossibile esset Statibus subministrare placillas, etc. scripto transmiseramus Gubernatori, hodie accepimus novam instantiam,

f^o 143. — ut non obstante allegata impossibilitate, vellemus nos premere ad faciendum tam necessarium succursum, etc. Resolutum fuit insistendum primae nostrae responsioni, sed temporisandum antequam hoc rescriberetur.

Die post, antequam responsio mitteretur circa 20 Maii, ex parte Gubernatoris ordines missi sunt ad omnia quarteria Brabantiae, ut solverent 8 millia placquillarum peditum ad ratam 5 stuferorum, et 5 millia equitum ad ratam 12 stuferorum, de quibus 5 Maii, et inciperent solutiones a 1^o mensis Maii, quod si pagi et quarterii recusarent, milites eo mitterentur et extorquerent, etc. — et notandum quod urbi 5 Maii pro equitibus tantum petebant 5 stuferos ; nunc petierunt 12 stuferos.

Deputati Statuum nescientes violentiam istam impedire, et non habentes unde possent nummos invenire, et Gubernator omnibus negabat audientiam, judicarunt patientiam habendam cum aliter non possunt — et milites ab initio Junii collocati sunt in patria rurali, et per totum junium, immenso damno ruralis patriae permanserunt.

2 Junii, loco epistolae missae 5 Maii et de qua 9 et 11 Maii, Gubernator misit aliud scriptum responsum ; in quo excusabat se de graviore onere militum immisso in Brabantiam, necessitate se fuisse compulsum ob dilationem et defectum pecuniarum quae expectabantur ex Hispania, et alia plura verba allegabat, sed tantum verba. Interim quarteria Brabantiae urgebantur ab aula et militibus ad solvendum placillas, de quibus 11 Maii.

Hinc Status fecerunt longam remonstrantiam Gubernatori, in qua apparebant onera patriae et gravamina quae sustinuerant, et quomodo nunc, pace data, paululum deberent respirare, privilegia infringenterentur, et ruralis patria plane exhaureretur, et concludebant accordare conferentiam quatenus Brabantia ultra proportionem debitam non gravaretur, et facerent quod iis esset possibile.

10 Junii, dicta remonstrantia per abbatem de Vlierbeek, et baronem de Goijck cum graffiaro exhibita fuit, et Gubernator blanda responsa dedit, et descripsit se paratum esse conferentiam in

f^o 143^{vo}. — finem prefatum accordare, etc.

13 Junii, deputati sunt ad conferentiam ineundam abbas Parchensis et Diligemensis, baro de Goijck, et Hoboken, et deputati Civitatum.

Ego ratione deflectionis in pede domo fui coactus manere, et post nonnullas conferentias, convenerunt cum Gubernatore, quod non obstante ruina patriae, pro uno anno solverent mille placquillas seu rationes ad 4 stuferos singulas placquillas, salvo quod impostae influerent, et nullus ab eis liber esset, et tria millia placquillarum relinquerentur Statibus pro solutione debitorum suorum, etc.

Eodem die petitaë fuerunt impostae pro medio anno inchoando 1 Junii.

18 et 19 Junii, petiit Gubernator pro subsidio viginti quatuor millia placquillarum ad 4 stuferos singulam, et Status accordarunt 16 millia uti supra, invenienda primum ex impostis, uti supra, deinde ex impositione facienda super introitu, et exitu commerciorum denique super quinquagesimo nummo redituum, et centesimo nummo vitalium redituum, et centesimo nummo vitalium redituum, et reliquum quod deesset, inveniretur per taxas, via preciarum ordinarium, etc.

In tota ista negotiatione ego non interfui.

21 Junii, Deputati Statuum elegerunt in procuratorem processum N. vander Beken, filium defuncti procuratoris me non annuente et barone de Goijck renitente. Cum indies expectaretur acta acceptationis super prefata resolutione, et quotidiana fieret instantia apud Gubernatorem, et hic semper bona verba dedit.

23 Junii, D. Tello, magister quarteriarum, nomine Gubernatoris scripsit ad officiales ruralis patriae, quatenus vellent pro exemptione ruralis patriae ab hospitatione militum, etc., quod summe altercavit Status, et desuper iterum miserunt deputatos ad Gubernatorem.

25 Junii, retulit Bouton quod scultetus de Herentals, nomine de Mesemaker, ei dixisset magistrum quarteriarum Tello ei indicasse quod Gubernator eum appulisset ut daret ei commissionem taxandi bona ecclesiastica.

f^o 144. — Eodem die Deputati Statuum conquesti sunt apud Gubernatorem quod vocasset officarios ruralis patriae ad tractandum cum illis super exemptione ab hospitatione militum, id contrariari privilegiis subsidii, et tandem voluisse adesse dictos officiales pro eventu si cum Statibus convenire non posset.

25 Junii, eodem die Vice-Cancellarius desuper longam deductionem dandam Gubernatori.

26 Junii, relatum fuit Gubernatori petiisse a 7 quarteriis Antwerpianam 450 millia florenorum pro spatio unius anni pro exemptione ab hospitatione militum, et quod cogeret omnia bona contribuere, etc. tam amortisata quam feudalia.

(A suivre).